

uitæ errorūmque ueterum inuitarentur, non modo non submisserunt ceruices iugo uerbi Dei & agnouerunt delicta sua, & conuerterunt se ad uocantem Deum, sed etiam superbiissime sese extixerunt, cohortantes mutuo ad dirumpendā illa diuina uincula obedientiæ Euangelicæ, Quærentes omnium etiam manifestiss. erratorum defensionem, magno conductis audacibus quibusdam ardalionibus & impudentibus syophantis, & assentatoribus plusquam gnathonicis, qui pro suis illis impijs & idololatricis observationibus, qui pro doctrina falsa & menda ce contra ueritatem qui est Christus propugnarent. Pios autem & fideles, qui os aperire audent & mutire aduersus furorem impietatis, iugularunt crudelissime aut terrore suppliciorum ac pœnae dispulerunt & extorres egerunt laribus ac patrio solo: Non auditos sæpe nedū conuictos, sed arreptos pro turbulentis & labe factoribus reip. & qui præsentem statum conuellere niterentur. O nimis manifestas & euidentes caussas calamitatum quæ utinam constant hoc fine. Quid quærimus alias quid circumspectamus? Prior uita referta fuit flagitijs & sceleribus. In Ecclesia Dei regnauit impiæ superstitione. Honor & gloria Iesu Christi, per quem & instaurare ruinam mundi & reparare collapsas res Deus uoluit solum, quem & iudicem destinauit uiuorum & mortuorum, iacuit